BISTRIȚA / BISTRITZ, NÖSEN / BESZTERCE

1560. 07.04 (feria quinta post diem Visitacionis Marie virginis)

Keywords:
1.1. church attendance, Sunday
1.4. guests, weddings, engagements, servants, excess

Anno Domini feria quinta post diem Visitacionis Marie virginis in congregacione seniorum et centumvirorum prudentes et circumspecti iudex ceterique iurati consules cum predictis senioribus et centumviris inter cetera istius reipublice negocia tractabant et revolvebant ea decreta et senatusconsulta, que retroactis annis super celebracione nupciarum, manuu stipulacione, invitacione hospitum, numero servitorum ad mensas et puellarum sponse assistencium conclusa iuxta earundem vires et modum constitucionum, hactenus non essent observata. Visum est tum senatui, tum senioribus et centumviris, talia decreta, que presertim citra honestatem observari non possent, tollere, ac in meliorem modum redigere, ut id quod communi consilio deliberatur, firmum eciam ac stabile esse valeat. Nam ceremonie nupciarum hactenus observate sponso et sponse ac eorundem parentibus inutiles sumptus et magna damna attulerunt, quamobrem firmo decreto ordinabant et statuebant sequentem modum, sub pena infrascripa irremissibiliter luenda.

Primo. Quoniam era quedam controversia racione constitucionis ante triennium facte, quod nempe diebus dominicis nulle nupcie celebrarentur, verbum enim Dei et divina officia a multis negligerentur, sed celebrari debent nupcie die quadam in septimana, huic constitucioni quidam contravenire intebantur, ad pias tamen et salutares adhortaciones venerabilium dominorum parrochorum istius capituli erga senatum et universos centumviros factas deliberatum est, quod eciam in posterum diebus dominicis nupcie celebrari non debeant, sed per hebdomadam non obstante si dies festus incidat.

Secundo. Statutum est, quod hii, qui sponsalia aut stipulacionem manuum celebrare volunt, tum sponsus habeat secum proloquutorem duos vicinos, patrem et fratres vel propinquiores affines, numerus tamen demptis duobus famulis sit octo virorum et non ultra. Eodem modo observeretur ex parte sponse etc.

Tercio. Celebraturi nupcias faciant suos hospites invitare per duos famulos secuti hactenus est observatum.

Quarto. Statutum est quod quilibet sponsus et sponsa vel eorundem parentes tot hospites invitare teneantur, quott in vel ad decem mensas viri et mulieres consedere ac comprehendi poterint, exceptis hiis hospitibus et convivis, quos sponsus aus sponsa et eorum parentes ex aliis civitatibus, oppidis aut villis puta consanguineos et agnatos invitare habent. Si quis hoc statutum transgressus fuerit pena irreversibili in una marca argenti punietur.

Quinto. Statutum est quod in celebracione nupciarum ad unam quamlibet mensam duo famuli aut servitores admiegantur. Item sponsa in stipulacione manuum non plures quam duodecim puellas invitari faciat, simili modo non plures ad celebracionem nupciarum observandum.

Sexto. Quod tempus conviviorum et nupciarum finaliter terminus sit hora secunda postmeridiana, neque ultra convivium protendatur. Hic tamen si aliquando gratia honorum et

intuitu extraneorum convivarium media hora protrahetur ignoscendum erit, considerandum tamen ne ex contumacia statutorum id fiat. Ultra hanc secundam horam homines invitati, consanguinei et affines in domo nupciarum permanere non debent, denique illo vesperi aut altero sequenti die in domo sponsi et sponse nullum convivium celebrari debet, hic rursum exterorum invitatorum nulla fit mencio. Inhonestum enim esset et rusticanum eiusmodi convivas eo modo ablegare et dimittere, sed de domesticis sit dictum, et si vicini et quendam locum saltem non in vicinam domum se se congregaverint, tamen sponsus aut sponsa non sint obligati quispiam illis porrigere.

Septimo. Decretum est postquam convivi abierint, sponsus et sponsa aut quorum interest teneatur servitoribus similiter mulieribus et ancillis adiutricibus in coquina cibum admnistrare sicuti iustum est et conveniens. Tandem eciam servitoribus iuxta laudabilem consuetudinem intuitu serviciorum donaria conferunt et illos abire dimittant, mulieres quoque et ancille peractis peragendis eciam domum se conferant et nullo convivio eo vesperi excipiantur.

Octavo. Famuli seu servitores altero die post nupcias ad labores suorum dominorum accedant, si qui vero altero die post nupcias a laboribus feriari inventi fuerunt, hii et sequentes dies septimane feriari habeant.

Ultimo. Statutum est quod altero die post nupcias mulieres sponsam ad ecclesiam concomitantes sint quattuor vel sex, quas si sponsus vel sponsa aliquo convivio tractabit in eo tamen convivio, si plures quam octo mulieres reperte fuerint, poena erit florenus unus etc.

Item anno Domini 1567 die 27[1] Septembris conclusum est quod prefate mulieres non eant de consanguineis ad consanguineos sed post unum illud convivialem abeant domum.

Item statutum est eciam, quod unam quamlibet susceptricem aut compatrissam ut vocant non plures quam quattuor numero mulieres ducentem puellum ad sacrum fontem baptismatis concomitari debent. Si aliqua vero hoc statutum transgredi ausa fuerit, in floreno uno puniatur.

Hec statuta publice proclamata quilibet sibi dicta existimet nec ullam excusacionis deinceps formam sicubi excesserit sibi repositam reputet.

De iis qui germanos comitantur etc. Item nemo debet in die Newstadt zihen on des obrigkeit wissen unnd willen. Wirt iemandt beleitten dem wirt nun nicht ihnn die stadt beleiten.

CJ POB seria I, nr. 5, 2v-3r

[1] Un cuvânt indescrifrabil tăiat